

intelligi potest: divisibilis igitur est materia non physice sed metaphysice, id infinitum improprie loquendo, h. e. indefinite, qua observatione declino Hollmanni V. Cl. objectiones in Comm. de Harm. Præstabil. p. 15. porro si impossibile non est, ut ex absolute simplicibus h. e. spiritibus quoad immaterialitatem & indivisibilitatem in unum conjunctis emergat materia vel corpus, impossibile etiam non est, ut ex spiritibus cogitantibus fiat corpus, quo ipso discrimen inter materiale & immateriale rursus tollitur. Opponimus hæc Bulsfingeri Dilucid. §. 103. Adhæc cuius absolute simplici proprium assignatur spaci punctum Metaph. Wolff. §. 602. E. sive intra sive extra compositionem altera parte huic, altera parte alteri Elemento vicinius, adeoque divisibile est.

§. IV

Omni igitur probabilitate carent Leibnitii Monades, quibus præter simplicitatem absolutam etiam perceptionem tribuit *a)*; nihil tamen Atheisticum in Monadologia invenio *b)*; multo minus Wolffio dogma de æternitate Elementorum suorum tribuere possum. *c)*

a) etenim Hollmannus, quamvis Atomosh. e. simplicia absolute talia statuat, reliquam tamen Monadologiam Leibnitianam egregie refutavit. l. c. p. 16-29.

b) D. Langius aliter sentit in der Ausfuhr. Entdeck. p. 73. eo quod Deus ratione generis inter Monades referatur, differentia autem specifica tantum in modo & gradu repræsentandi collocetur. Verum sicut in definitione Dei genus vel in Ente vel in Spiritu recte a plerisque Theologis & Philosophis quaeritur, ita non video, cur ens simplex generis loco adhiberi nequeat. Differentiam autem specificam in gradu repræsentationis perfectissimo poni, mirum illis non videbitur, quibus Via eminentiæ ceu medium attributa divina cognoscendi, & fundamentum distinctionis essentialis Lockio & Physicis doctrinis penitus innotuerunt. conf. Bulsfingeri Dilucid. §. III. 112. Ceterum Monadologiam, si firmo staret talo, firmissimum existentiae divinae argumentum præbituram esse, Wolffio concedi debet in Annot. Metaph. §. 28.

c) cum D. Langio Ausfuhr. Entdeck. p. 5. sqq. quamvis enim Dn. Wolffius Metaph. §. 89. disjunctive scripserit, simplicia aut sine initio esse, aut simul semelque coepisse, ex immediate subsequentibus tamen & §. 1053 de creatione dudum cognovi, Autori Celeberrimo posterius membrum placuisse: ita etiam Autor secum pugnantis Harmoniæ p. 8. Thes. IX. mentem Leibnitii & Wolffii expressit. Id autem miror, creationem simplicium nec intelligibilem nec explicabilem videri §. 90. 91. Metaph. ideo quod nullæ partes nullaque harum successio adsint: inverterem, & ex absentia partium harumque successionis colligerem, facilius intelligi & explicari posse simplicium vel simpliciorum quam compositorum productionem: sed hæc sunt Logica